

ministerialibus, clientibus omnibusque majoribus et minoribus, dilectionem, orationem, et in id ipsum salutem.

Multimodis paganorum oppressionibus et calamitatibus diutissime oppressi, ad vestram suspiramus misericordiam, quatenus ecclesie matris vestre nobiscum sublevetis ruinam. Insurrexerunt in nos et prevaluerunt crudelissimi¹⁾ gentiles, viri absque misericordia et de inhumanitatis sue gloriantes malicia. Ecclesias Christi ydolatRIA prophanaverunt, altaria demoliti sunt, et quod humana mens refugit audire, ipsi non abhorrent in nos perpetrare. In nostram regionem sepiissime efferantur, nullique parcentes rapiunt, cedunt, fundunt, et exquisitis tormentis affligunt. Quosdam decollant, et capita demoniis suis immolant. De quibusdam visceribus extractis, manus abscisas et pedes alligant, Christumque nostrum suggillantes²⁾: 'Ubi est inquit deus eorum'? Quosdam in patibulo sublato permittunt ad majores cruciatus omni morte miserabiliorem vitam protrahere, cum vivi aspiciant se per abscisionem singulorum membrorum mortificari, et ad ultimum ceso ventre miserabiliter eviscerari. Quam plures vivos excoriant, et cute capitis abstracta, hoc modo larvati in Christianorum fines erumpunt, et se Christianos mentientes, predas impune abigunt³⁾. Phanatici autem illorum quotiens commensationibus vacare libet feriis⁴⁾ indictis: 'Capita inquit vult noster Pripégala; hujusmodi fieri oportet sacrificia'. Pripégala ut aiunt Priapus est, et Beelphegor impudicus. Tunc decollatis ante prophanationis sue aras Christianis, crateras tenent humano sanguine plenas⁵⁾, et horrendis vocibus ululantes: 'Agamus inquit diem leticie! Victus est Christus: vicit Pripegala victoriosissimus'. Hujusmodi afflictiones sine intermissione vel toleramus, vel formidamus, quoniam eos semper progredi, et in omnibus ingemiscimus bene prosperari. Itaque fratres karissimi totius Saxonie, Francie, Lutaringie, Flandrie, episcopi, clerici et monachi, de bonis sumite exemplum et Gallorum imitatores in hoc etiam estote. Clamate hoc in ecclesiis, sanctificate jejunium, vocate cetum, congregare populum, annunciate hoc et auditum facite, in omnibus terminis prelationis vestre. Sanctificate bellum, suscite robustos. Surgite principes, contra inimicos Christi arripite clypeos. Accingimini filii potentes, et venite omnes viri bellatores. Infirmus dicat quia fortis sum ego, quoniam Dominus fortitudo plebis sue, et protector salvationum Christi sui est. Erumpite et venite

Ps. 27, 8.

1) crudelissimi Hs. 2) C. n. s. fehlen in den Drucken. 3) Wenn man das glauben darf, so ist es zu erklären durch die langen Haare, durch welche noch in den Bildern zum Sachsenspiegel die Sachsen sich von den Wenden unterscheiden. 4) Früher unverständlich 'ferus'. 5) 'crateras — plenas' fehlt in den Drucken.